

WC  
547





714i






W  
547

ORATIO  
POETICA,  
QUA  
Illustrissimo & Celsissimo  
Principi ac Domino,  
DN. JOHANNI-  
ERNESTO, DUCI SA-  
XONIAE, JULIAE, CLIVIAE, ET  
MONTIUM, LANDGRAVIO THURIN-  
GIAE, MARCHIONI MISNIAE, COMITIDE  
MARCA ET RAVENSPURGK, DYNASTAE IN  
RAVENSTEIN, DOMINOSUO CLE-  
MENTISSIMO,  
De Itinere ex Galliis, Anglia, Belgio, &c. ut &  
Rectoratus munere felicissime peracto suis cum  
VIRTUTIBUS.

PUBLICAE  
V. Sept. Anni 1614. gratulabatur  
M. Thomas Sagittarius, Poeta  
Caesar. & Professor  
Publicus.

JENAE,  
Typis Johannis  
Weidneri.



714i







SAXONICIS hæc JOVA potens INSIGNIA Stellis  
 Celsa dedit, quæ das, JOVA, tuere potens.

M. Th. S.

BIBLIOTHECA  
 POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (BAALE)



Illustrissimo ac Celsissimo  
 Principi ac Domino,  
 DOMINO  
**JOHANNI-ERNESTO,**  
 DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-  
 viæ, & Montium, Landgravio  
 Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti de  
 Marca & Ravenspurgk, Dynastæ in Ravenstein,  
 Domino meo Clementissimo & gra-  
 tiosissimo,

*Hoc Carmen gratulatorium*

Suasu imo jussu  
 Ipsius Celsit. VIRTUTUM

*Subjectissima & devotissima mente  
 & manu offero*

Sagittarius]



Lectori meo Salutem & Officium,  
*Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac*

*D O M I N O,*

**D N. JOHANNI-ERNESTO,**

**Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, &**

**Montium, Landgravio Thuringiae, Marchioni**

**Misniae, Comiti de Marca, & Ravenspurgk, Dynastae**

**in Ravenstein, Domino meo Clementissimo,**

**& Gratosissimo,**

**Cras hora nona Promeridiana**

**ob felicissimae Gubernationis & Rectoratus Aca-**

**demici perfunctionem & depositionem C A R M L**

**NE PUBLICE RECITANDO gratulaturus,**

**& fausta quaeque Viae & Vitae ejus laudatissimae**

**precaturus.**

**V O S, o**

**M E I,**

**Principes, Rector, Barones, Professores, Docto-**

**res, Licentiati, Magistri, & quotquot hic adestis**

**Amici & Cives Academici,**

*Humilime, devotissime, officiosissime, amantissime invito,*

**M. Thomas Sagittarius, Professor Publicus,**

*Adeste*

**VIRTUTES HORATIANAE LOQUENTUR,**

*Adeste*

*VIRTUTUM quotquot nati de sanguine, quotquot*

*SAXONICAE grati redamatis numina RUTAE.*

**P. P. Jenae 4. Sept. Anni 1614**



# ORATIO POETICA.

**V**anovæ sunt, placuere Viris, animosq;  
labantes  
applausu irritant vario, memoresq; la-  
borum,

Illapsu tacito socia ad consortia ducunt,  
Sopitosq; movent ignes sub pectore, grande  
Et decus Et magnum virtuti addentia pondus  
haud dubiis vivâ dum sese mole ferentis  
ostendunt signis præsentia Numina Jovæ,  
terrasq; tractusq;, omnes diffusa per artus  
consilio regere, Et certâ disponere mundum  
lance, nec Heroas vanis erumpere saxis,  
aut Cyclopum antris Mydæ comitante caterva  
ut vesparum aciem in medios se fundere campos:  
Sed regnis Reges apponere cœlitus æquos,  
Et moderari almis totum Virtutibus orbem  
hoc etiam valdè misero quo tempore cuncta  
in pejora ruunt, Et retrò lapsa feruntur:

A 3

At



## O R A T I O

At vulgata diu & veteris ramalia fagi,  
 & jam dictus Hylas & dudum cognita tecto  
 passeribus, crudo qua ludit Choerilus ausu  
 aut Stentor lapidi canit, aut sub nocte silenti  
 qua bubo, aut tandem repetit ludibria Progne,  
 ingratis vanas feriunt clamoribus auras,  
 ullo nec cordis tangunt penetralia sensu,  
 sed suetis revocata viis, repetitaq; chordis  
 vix benè consutis, ceu testa volubilis, ictu  
 consueto bilem undantem risumq; movebit,  
 aut sterili somnos suadebit inire susurro.

Quare agite, ò PROCERES, nunc huc advertite  
 & mecum curis fato meliore remotis (mentem  
 ad campos comitati animis floresq; secundos  
 qua nuper magno VIRTUTES agmine caelo  
 detulerint alto, varioq; per aëra plausu  
 gaudia testata, gratanti carmina mente,  
 non ullis audita viris, non dicta Poëtis,  
 miscuerint votis, blando cognoscite vultu.

VIR-



POETICA.

VIRTUTUM sermo est, ut Vos VIRTUTIS amantes  
 VIRTUTIS sermo quis sit recoletis, & ultrò  
 quod clarum digno commendat nomine VIRTUS  
 SAXONIÆ sidus, merito aspicietis honore,  
 Votaq; VIRTUTUM votis addetis, & unà  
 ad magnum crebris precibus ducetis Olympum.  
 Hoc facite & gratà mecum reputate Camœnà,  
 quæ cantare Deæ voluere, meoq; labori  
 aspirate: novis si quid conatibus obstat,  
 ingentem in rerum cumulum devolvite culpam.  
 Non fallo, numeros memini, sed verba tenere  
 haud potero. Tantis etenim successibus, omnes  
 tractabant operas cantus melioris, ut illas  
 Vix humana suis capiant dispendia cellis,  
 linguave perceptas edisserat ore loquelas.  
 Nostis quam magnà VIRTUTES dote triumphent,  
 Nostis quam magnà VIRTUTES arte triumphent.

Tempus erat, croceum linguens Aurora cubile  
 quo somno excitos homines luce excitat almà  
 & matutini volucrum sub culmine cantus,

ad





## O R A T I O

ad virides spaciatus aquas, quæ Sala **J E N E N S E S**  
 irriguos fluvio præcepis allabatur agros,  
 pascua spectabam, floresq; herbasq; virentes,  
 atq; subibat, uti magnum per inane coacta  
 semina terrarumq;, animaq;, marisq; ruentis,  
 & liquidi simul ignis ovans ludensq; **J E H O V A**  
 compulerit, vivisq; animas infuderit autor,  
 terramq; ornarit variatis floribus-herbisq;  
 inde ut consuetum capiant animalia pastum,  
 multa per ignotos hinc hincq; errantia montes  
 multa per ingentes hinc hincq; errantia campos,  
 sed quæ magna hominum turpant obliviamentes  
 indignatus opes tantas da noscere **J O V A**,  
 date, da gratos grato sub pectore sensus.  
 Vix ea dum volvo, magnas & deprecor iras,  
 insperata meas citò vox defertur ad aures:  
 Huc age, siste gradum. Subitâ formidine pectus  
 contremittit, & pallet vultus, vox faucibus hæret.  
 Accedo tamen accitus dulcedine cantus  
 & facie Nymphas quæ promittebat amicas.

Credebam




P O E T I C A .

Credebam. Nec vana fides, mihi Numina Nymphas  
 obtulerant cælo, dicentes carmina, filo  
 atq; stylo vario, & doctè pro more canentes.  
 Carmina quæ suavi referebant vore, labores  
 JAN-ERNESTE, tuos, animosq; & facta piûq;  
 pectus, & Heroum similes sub pectore motus.  
 Hæc dum, quâ memini, brevioribus explico metris,  
 & bles à repetolinguâ: Vos Numina cæli  
 cæptis aspirate meis: Vos Numina terra  
 annuite atq; probate melos: Vos Numina ludi,  
 & quisquis spectator ades, commune periculum  
 fortunate, inopes ô fortunate Camænas.

Ipsa prior niveo PIETAS induta colore  
 ducebat spectata chorum Nymphasq; sequentes,  
 quæ tales suavi reddebat ab ore loquelas:

P I E T A S .

Parodia Horatiana  
 ex 1. Carm. Od. 1.

 RINCEPS atavis edite Regibus,  
 JAN-ERNESTE, tuæ dulce decus Scholæ,  
 Sint quos præsidium lugubre viribus

B collegisse



## O R A T I O

collegisse iuvat, linguaq; fervidis  
 conjurata notis, dextraq; nobilis  
 terrarum DOMINO prætulit, & DEO.

Hunc si Casareis nata Parentibus  
 certat mellifluis ludere amoribus:

illum si propriis condidit atriiis  
 quicquid de thalamis fertur Americis  
 dum gaudent patriis quarere montibus  
 aurum, non Libycis conditionibus

unquam commoveas, ut benè conscius  
 LUTHERI innocuo templa premat pede:

luctantem stygio fulmine Cerberum  
 Suffenus metuens, ocium & oppidi  
 laudet lucra sui, nec capiat sinu  
 lucem, non docilis pauperiem pati.

Sit, qui nec vetitis pascua sedibus,  
 nec Papæ è manibus pocula tollere  
 spernit nunc olei chrysmate centies  
 lotus, nunc rubeus lene caput cruce.

Multos regna juvent & comitum choro

permistus



## P O E T I C A.

permistus strepitus, pompaque Patribus  
 detestata, abeat cum Sathanâ duce  
 Gangolfus sociæ conjugis immemor,  
 seu visum est steriles reliquias Petri,  
 seu vestes Blasii cernere rancidas:

Sed te Christiadum premia fontium  
 Dis jungant superis, te Pietas Patris,  
 LUTHERIQ; piis cum precibus dapes  
 secernant Ducibus. Sic age SAXONUM  
 JAN-ERNESTE decus, sic age. Numina,  
 quæ volves animo facta, beaverint.  
 Juro. Si patrio fœdere vixeris,  
 pulsabis pedibus sidera prosperis.

Dixerat. O patrio, PRINCEPS, o fœdere vivas,  
 inque tuis semper felicia Numina cœptis  
 experiare, DEO sic fortunante labores,  
 ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
 ut stabilita tuis RESPUBLICA floreat ansis,  
 ut fundata tuis ACADEMIA floreat umbris.

B 2

Sic



## O R A T I O

*Sic poscunt omnes manifesto carmine . FIAT,  
FIAT, Vos FIAT mecum geminate fauentes.*

*Nec mora: JUSTITIA albenti quæ veste decora  
facta quæ virtutes quæ hominum discrimine justo  
librat, Et ingentes meritis dispensat honores  
Et dignas nocuo poscit de sanguine pœnas,  
sic exorsa lubens hæc vota prioribus addit:*

I U S T I T I A.

*Ex 1. Carm.  
Od. 2.*

**N***Am satis Dæmon violentus iræ  
miscuit fatale odium, Et rubente  
dextera priscas meditatus artes  
terrui urbem.*

*terrui Musas grave quæ timebant  
seculum ferri, miseramque sortem,  
omne cum Cyclops abolevit æquum  
jura quæ regni.*

*hostis Et motu ferus occupavit  
nota quæ sedes fuerat Camœnis,  
impio Et terrâ Themis, a volavit  
crimine læsa.*

*Vidi-*



## P O E T I C A.

Vidimus cæcum populum reflexo  
 jure contra fas violenter ausum  
 ire dejectum monimenta legum

Sceptraq; Patrum.

Tityri dum se nimium querentis,  
 jactat ultorem vagus, & solutis  
 labitur vinclis Jove non probante  
 murmura vulgi.

Audiit ciues violasse ferro  
 mite quos nomen studiumq; junxit:

Audiit pugnas vitio juventa  
 sæpe Senatus.

Quem Vocem Divum dubiis ruentis  
 Imperi nervis? ope quæ retundam  
 rebus in tantis minus audientem  
 jussa cateruam?

Quis dabit terris requiem? quis iras  
 franget? ò tandem venias precamur  
 jure splendentes humeros amictus,  
 optime PRINCEPS,

B 3

suave



## ORATIO

sive tu mavis moderari amicâ  
 dexterâ civis, preciosus aulâ  
 sive collapsum decus, & Camœnas  
 respicis autor.

Onimis longis adamate regnis  
 dum juvat Gallos, celeresque Belgas  
 divitesq; Anglos, alia sub Arcto  
 visere cœli.

Eja firmatâ populi salute,  
 SAXO, Majores imiteris æquos  
 filius magni Patris, ut voceris.

Petra Themistos.

Serus ad cœlum redeas, diuque  
 justus intersis hominum querelis,  
 ne vè te nostris vitiis iniquus  
 antè J E H O V A

tollat. Hic partos potius favores,  
 hic ames dici Pater atque Princeps,  
 hic sinas Musas recreare doctos  
 te duce Phæbos.

Dixit



## P O E T I C A.

Dixerat. O partos, ò P R I N C E P S, cerne favores,  
 Et dici Patria Pater ut pro jure mereris,  
 sic deinceps, sic jure tuone absiste mereri,  
 Et Musas recreare bonos Aganippidos undis,  
 auspiciis sine docte tuis, sine fundere versus,  
 Et clarum nomen vivis inscribere cedris.

Hinc atque inde D E O sic fortunante labores,  
 ut firmata tuis E C C L E S I A floreat ulnis,  
 ut stabilita tuis R E S P U B L I C A floreat ausis,  
 ut fundata tuis A C A D E M I A floreat umbris.

Sic poscunt omnes manifesto carmine. FIAT.  
 F I A T, Vos, F I A T, mecum geminate faventes.

Tum verò mirum blando C L E M E N T I A vultu  
 os humerosq; Dea similis, mortalibus infit:

## C L E M E N T I A.

Ex 1. Carm.  
 Od. 2.

**S**ic te vita clientium  
 sic te, S A X O N I A sidus amabile,  
 sic virtute regat D E U S  
 infuso à Superis lumine mentibus,

P R I N C E P S,



## ORATIO

PRINCEPS, qui tibi creditos  
 mulces consiliis, ut pater, optimis,  
 reddisq; incolumes tuos  
 Et servas animas rite superstites,  
 Illi JOVÆ animus favens  
 circa pectus erit, qui fragiles satis  
 expendit hominum vias  
 cautus, nec timuit precipitē Æacum Et  
 fatis mitibus asperum  
 nec tristes Furias nec rabiem Davi,  
 qua non est Phlegethontia  
 major, dum socios perdere vult ferox,  
 tormenti genus improbum,  
 dum vafris animis invenit anxius,  
 languentesq; videt mori  
 tam siccis oculis, tigride durior.  
 Ne quicquam DEUS indidit  
 humano generi dissociabiles  
 storgas, si tamen impia  
 dimittenda manus turpiter enecant.

Non



## P O E T I C A.

Non sic: omnia perspicax  
 mens humana prius libret amicius,  
 Et fratrum facili tegat  
 culpas palliolo, Gratia detulit  
 Amorem aëriâ domo  
 appostâ requie, dum nova fœderum  
 terris addidit inclutis,  
 semotisq; prius litibus Et minis  
 Regni constituit gradus.  
 Expertus variis casibus otia  
 fulcris vix homini datis  
 firmavit solium consocians Favor.  
 Nil clementibus arduum est,  
 JOUÆ ipsi assimilat tantus amor, neque  
 eventu caret irrito,  
 qui clemens potuit ponere fulmina.  
 Dixerat. O clemens, ò P R I N C E P S, fulmina pone,  
 ut ponis, blandisque animis animare clientes,  
 Et solium firmare tuum, firmare tribunal  
 egregium factis, teque assimilare J E H O U Æ.

C

Per-



## ORATIO

Perge, DEO cæptos sic fortunante labores,  
 ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
 ut stabilita tuis RES PUBLICA floreat ausis,  
 ut fundata tuis ACADEMIA floreat umbris,  
 Hoc poscunt omnes manifesto carmine. FIAT,  
 FIAT, vos, FIAT, mecum geminate faventes,  
 Tum verò humanis, quæ perficit omnia votis,  
 Pollicita ingentem vultu, Dea pulchra favorem,  
 PRINCIPIS egregiis inducta favoribus, in fit:

## HUMANITAS.

Ex II. Carm.  
 Od. XVII.

**N**on fragor, neque igneus  
 tuâ resultat in domo tumultus,  
 non mina Catonica  
 premunt ministros ultimo recisa  
 ungue, non Trophonii  
 austerus horror regiam occupavit,  
 nec Perillica manus  
 trahunt molestis vinculis clientes:  
 Sed beantis Ingeni  
 benigna vena est, pauperemq; clemens

Expe-



P O E T I C A .

*expetis, Faventiã*

*Deos laceßis, nec potens Apollo  
largiora flagitat,*

*satis beatus unico favore.*

*P R I N C I P I S dies die*

*peritus ardet explicare mentem,  
nec stupenda fulmine*

*movet per ipsum fulmen, aut sepulchro  
proximos vovet Viros.*

*Laus ò perennis. Excitata novit  
summovere pondera*

*amore ductus molliente pœnam.*

*Quid? quod usque Salica*

*auget Minerva terminos? Et ultra  
limites docentium*

*ditat bonis? quid? dexterà obtulerunt  
Supplicante litteras,*

*Et uxor Et vir pallidiq; nati.*

*Nulla flebit amen*

*quæ veritatis jure constituta*

C 2

Causa



## O R A T I O

*Causa PRINCIPIS vice  
 falsa est. Quid ultra tendis? Aula clemens  
 pauperi recluditur,  
 Crassique pueris, nec satelles ullus  
 sordidum Laberium  
 vexavit auro captus, hic paratum.  
 Thestili atque Apollini  
 asylon exstat, hic levare fessos  
 pauperes laboribus  
 vocatus atque non vocatus audet.*

*Dixerat. O justas, O PRINCEPS, excute causas,  
 quod facis, & miseris, ceu clarum sidus, ocellis  
 appare humanis. Decus hoc est PRINCIPIS INGENS,  
 Quod Superis æquare Duces, solioque locare  
 sublimi valet, & pedibus submittere nubes.  
 Appare, inde DEO sic fortunante labores,  
 ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
 ut stabilita tuis RESPUBLICA floreat ausis,  
 ut fundata tuis ACADEMIA floreat umbris.  
 Sic poscunt omnes manifesto carmine. FIAT.  
 FIAT, Vos, FIAT, mecum geminate fauentes.*

Mox



## P O E T I C A.

Mox tali sermone excepit Diva loquentem,  
arma manu quatens, ferroque hastilia vibrans  
ferre parata suum confidens pectus in hostem.

## F O R T I T U D O.

Ex. I Carm.  
Od. IV.

**F**errū ignesq; fero durā vice Martis & Me-  
trahoq; vinctas dextera catervas, (gara,  
ac neq; jam domibus civis sedet, aut arator  
sed prata diro confremūt tumultu. (ulmo:  
Jam Bellona choros ducit fera, provocatq; Alecto,  
imis ab Orcis fervidas sorores,  
isato ut terram quatiant pede, dividātq; prædam, &  
Vulcanus ardens urat ampla tecta.  
Nunc decet, ò PRINCEPS, firmum latus impedire  
dextramq; forti robore aggravare. (ferro,  
nunc in agris crudelem hostem decet immolare morti  
seu poscat enses sive malit ignem.  
Fortis mens aquā servat vice pauperum tabernas  
Regnumq; turres, ò beate PRINCEPS.  
Sors animusq; tuus spem nos jubet inchoare letam.  
Jam, ò jam preme hostes sat efferatos,

C 3

&amp; pacem



## O R A T I O

Et pacem terris donabis amicus, Et superbis  
 mox ora franges fortior lupatis,  
 tum gratū juvenem mirata canet favore BERGA  
 cum JULIA Et cum CLIVIA triumphos.  
 Dixerat. O pacis, PRINCEPS, o gaudia dones,  
 Et si quis (DEUS hoc avertat, Et omen in ipsos  
 convertat socios) sed si tamen irruat hostis  
 bella manu letumq; gerens, fortissime PRINCEPS,  
 justis assurgas iris, atque arma capessens  
 non consuetā pati contundas ora lupatis,  
 Et tandem victor victricia signa reportes,  
 quò tantum mirata decus, tibi JULIA partos  
 CLIVIAq; Et felix decantet BERGA triumphos,  
 Ritè DEO cæptos sic fortunante labores,  
 ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
 ut stabilita tuis RESPUBLICA floreat ausis,  
 ut fundata tuis ACADEMIA floreat umbris.  
 Hoc poscunt omnes manifesto carmine. FIAT,  
 FIAT, vos, FIAT, mecum geminate faventes.  
 Nec dum finis erat. Plenis SAPIENTIA donis


Proce-



## P O E T I C A.

*procedens medium sese jaciebat in æquor,  
plura putans animo, quæ sic tandem ore locuta est!*

S A P I E N T I A. *Ex I. Carm.  
Od. VII.*

 *Ollaudent alii patulas imitantia nubes  
mœnia, vel sociata Canopo  
atria, vel liquidum scandentes athera turre,  
bombardas vè globos vè minaces.*

*Sint quibus unum opus est ingentes pondere gazas  
fœnore perpetuo numerare, &  
undique directos melius diducere campos.*

*Plurimus in Mavortis honorem  
alternis ponat spumantia pocula mensis;  
Te non tam Persica tempe,  
nectam divitiis percussit Cræsus opimis,  
quam decus egregias referentis  
ingenio dotes Proavorum, & facta Parentis  
Persapientibus inclute fatis.*

*Rectè sic P R I N C E P S. Detergit nubila cælo  
sol radiis, neque parturit umbras*

*obscuras:*



## O R A T I O

obscuras: Sic te sapiens *SAPIENTIA* pleno  
 flore beat, vitæque labores  
 dirigit, ut sidus, seu te fulgentia signis  
 castratenent, seu magna tenebit

*Vinaris aula Ducem.* Peregrinas visere terras  
 cum velles citus, ipsa periculis  
 patria se magno fertur firmasse *JEHOVA*,  
 sic tristes adfata *Quirites*:

*Quæ nos cunque premet tandem fortuna relictos,*  
*Vincemus socii, comitesque.*

*Nil desperandum sapienti Principe Rege.*  
*Certus enim benè consulit autor,*  
*ambiguasq; novo ponit fundamine turrets.*

*Olati, melioraque docti*  
*mecum sapè viri, JOUÆ committite curas*  
*incolumem, SAPIENTIA sistet.*

*Dixerat: Incolumem, SAPIENTIA, sistitit, ecce,*  
*ecce DUCEM, quem jam presenti lumine lustras,*  
*Et cernis patrios felix Academia vultus.*

*Macte age sic PRINCEPS, sicò fundamine turrets*

*urbesque*



P O E T I C A .

urbesque excelsas magis & magis erige, famamque  
& Proavos iterum SAPIENTIS nomine dona.  
Hinc atque inde DEO sic fortunante labores,  
ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
ut stabilita tuis RES PUBLICA floreat ausis,  
ut fundata tuis ACADÉMIA floreat umbris.

Hoc poscunt omnes manifesto carmine. FIAT,  
FIAT, vos, FIAT, mecum geminate faventes,

Talia dicentem sequitur CONSTANTIA, vultu  
incessuque gravis, paulumque morata, futuros  
evolvens casus, tandem sic farier infit:

CONSTANTIA.

Ex I. Carm.  
Od. VIII.

**G**Allia, dic, per omnes  
te Deos oro, a qua Ducè cur nequeas amare  
hunc satis? & decoras

SAXONIS mirata genas, grande decus stu-  
cur benè temperatam (pescis?  
dote virtutem enumeras? cur statuisse REGIS  
per placet hunc tapetis?

Cur times verbis juvenem ledere? Nonnè Divus

D

san-



## ORATIO

*sanguine quod Parentum,  
emicat claro, neque vestigia turpat illa  
prævia. Sæpè vultu,  
sæpè sermonis fluvio pectore consideret  
qua Dea comprobavit.*

*Filium dicunt, benè! CONSTANTIA, & expediti  
Numinis. O viriles*

*exere, ò PRINCEPS, animos, tot meditans triūphos.*

*Dixerat. ò magnos, ò PRINCEPS, exere factis,  
exere præclaris animos, & nomen Olympo  
junge tuum, semper constanti pectore constans  
Jusq; piūmq; rege, & constanti pectore constans  
urge promissum, & constanti pectore justum  
assere, sed crimen Gyaris committe pudendis.*

*Hinc atque inde DEO sic fortunante labores,  
ut firmata tuis ECCLESIA floreat ulnis,  
ut stabilita tuis RESPUBLICA floreat ausis,  
ut fundata tuis ACADEMIA floreat umbris.*

*Hoc poscunt omnes manifesto carmine. FIAT,  
FIAT, vos, FIAT, mecum geminate fauentes.*

*Hac*



## P O E T I C A.

*Hæc DEUM Salme jube tibi sint rata grataq; firmis  
auspiciis defende tuos, defende clientes,  
ut sint, qui gratà celebrent tua munera mente,  
ut sint, qui merito referant tua nomina versu,  
ut sint, qui calido querant tua numina voto.*

*Saxonicamq; tuere domum, Rutamque virentem,  
alme, subinde novis, ò fac, succrescere succis,  
ut sint, qui veri defendant dogmata verbi,  
ut sint, qui justæ tueantur robor a legis,  
ut sint, qui docti confirmant atria Phœbi.*

*Alme, tuere Scholas Salanaq; jura Licæi,  
sceptraq; virtutesq; omnes, animosque docentum,  
discentumque favos & fortia pectora bello,  
ut sint, qui veri proponant mella JEHOUÆ,  
ut sint, qui veri conquirant mella JEHOUÆ,  
ut sint, qui mundum collustrent melle JEHOUÆ.*

*Hoc omnes petimus repetito carmine. FIAT,  
FIAT, vos, FIAT, mecum geminate faventes.*

D I X I.







714i



D  
E  
XO  
MON  
GIE,  
MAI

De



NI-  
SA-  
, ET  
RIN.  
CIDE  
IN

t &

W  
547

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

